



Antonini Liberalis Transformationum congeries

Antoninus <Liberalis>

Basileae, 1568

VD16 A 2960

Phlegontis Tralliani, Caesaris liberti, de Mirabilibus & longæuis Libellus:
Gvilielmo Xylandro Augustano interprete.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70288](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70288)

P H L E G O N T I S
T R A L L I A N I , C A E S A
r i s liberti, de Mirabilibus &
longaeuis Libellus:

G V I L I E L M O X Y L A N D R O
Augustano interprete.

Deest principium.

* per fores in diuersorium exit : & ardente lucerna, videt illam sedentem apud Machaten. neque diutius se continens ob spectri miraculum, ad matrem accurrit, magna^q; vociferatione inclamans Charito & Nicostrate, surgere eos iussit, secumq; ad filiam accedere. hanc enim sibi viuā esse visam, & dei cuiusdā volūtate esse in diuersorio cum hospite. Charito cùm sermonem incredibilem audiuisser, principio nuncij magnitudine & tumultuatione nutricis consternata, animi est passa deliquum : mox filiæ recordata, fleuit: tandem insanire nutricem dixit, atq; abire iussit celeriter. Nutriceverò exprobratē ipsi, quod pr̄ ignavia suam filiam videre negligeret, (nam se

se quidem sanam esse, atq; animo sibi cō
stare) ægrè tandem Charito partim à nu
trice coacta, partim videre cupiens quid
rei accidisset, ad fores hospitij se confert:
idq; serò, quòd multum effluxisset tem
poris, dum secūdus nuncius perferretur.
quo factum est, vt illi iam quiescerent.
Mater igitur contuita, vestes quidem &
lineamenta vultus visa sibi est agnosce
re. Cum autem nulla esset veritatis rei
perscrutandæ ratio, quiescendum sibi
duxit, sperans se manè surrecturam, fi
liamq; depræhensuram; aut si seriùs ve
niret, è Machata totam rem cognituram:
neq; enim mentiturum eum, si de tanta
re interrogaretur. itaq; silens abiit. Pri
ma luce illa, siue dei quodam nutu, siue
casu aliquo abiens fefellit. Mater autem
cum aduenisset, ægrè admodū tulit quòd
eam non offendere: adolescenti autem
& hospiti re tota ab initio exposita, ge
nua amplexa Machatæ, hominem obse
crauit, vt nihil occultans veritatem pro
deret. Adolescens animo anxius, initio
quidem perturbari, vixq; demùm nomē
edere, esse eam inquiens Philinnium: tū
principium introitus exponere, & mu
lieris cupiditatem, quæ se clam parentes

e 3 ad

71 PHLEG. TRALLIANI

ad ipsum venire dixisset. Utq; rei fidem faceret, quæ ab ea fuerant relicta aperto risco protulit, annulum quem acceperat ab ea aureum, & fasciolam pectoralem, quam superiore nocte reliquerat. Charito vbi tanta vidit signa, exclamauit: scissisq; vestibus, & vitta à capite proiecta, in terram cōcidit, indicijsq; circumfusa luctū ab initio repetijt. Hospes ista cernens, cum omnes in summo essent mœrore, ac lamēarentur, ut qui iamiam sepeliendam sibi Charitonem putarent: animo conturbato consolari eam cepit, vt finem eiulandi faceret rogans: promittensq; illam, si rediret, ei monstratum. quibus Charito mota verbis, mandato vt operam daret diligēter quo promissa impleret, domum abiit. Ut nox facta est, & hora appetijt, ad quam horam Philinium solebat ad ipsum ventitare, expectarunt sanè illi aduentū: ipsa autem venit. Quæ cum consueto tempore esset ingressa, & in lecto cōsedisset, Machates nihil præ se ferens quid vellet, rē modò ipsam explorare cupiens, præsertim vt qui nequaquam crederet se cum mortua rem habere, quæ tam accuratè eodem temporis articulo ad se veniret,

ad

ad hæceriam secum ederet atq; biberet:
itaq; etiam ijs fidem non haberet quę ab
illis narrabatur, putaretq; quosdam eo-
rum qui mortuos effoderet solent, effos-
so sepulcro vestes & aureum mundum
patri puellæ vendidisse. cupiens ergo ré
certò perspicere, pueros occultè mittit
accitum eos. Cum autem confestim ve-
nissent Damostratus & Charito, vidis-
sentq; ipsam, & primò quidem muti ac
consternati adstitissent, admirabili spe-
ctaculo attoniti, deinde autem magnum
sustulissent clamorem, ac filiam fuissent
circumplexi: ibi tum Philinnium hęc eis
dixit: O' mater & pater, quām iniustē in-
uidistis mihi, vt cum hospite essem per
triduum in domo paterna, absque vlo
maleficio. proinde vos denuò lugebitis,
propter vestram curiositatem: ego autē
rursum abeo ad locum mihi designatū.
non enim absq; diuina volūtate huc ve-
ni. Hęc locuta, fuit illico mortua, cor-
pusq; eius conspicuum per lectū est ex-
tensum. Matre autem circumfusa, ac pa-
tre, cadaueri, magnoq; coorto tumultu
in ædibus, atq; eiulatu, ob istam rem, cū
& immedicabile spectaculum accidisset,
& incredibilis casus: statim fama rei vr-

vbem peruasit, & ad me allata est. Istā
igitur noctem ego turbam hominū, quæ
ad ædes eas confluxerat, distinui, veritus
ne quid nouarum rerum tentaretur, tali
fama dissipata. Summo manè refertum
hominibus fuit theatrum : omnibusq;
singulatim narratis, placuit ut primò o-
mnium iremus ad sepulcrū, eoq; aper-
to videremus, cadauérne in fandapila es-
set, an verò vacuum locū inueniremus.
nondum enim sex menses à morte mu-
lierculæ elapsi erant. Postquam aperui-
mus cameram, in quam omnes istius fa-
miliæ defuncti reponebātur, alijs quidē
in culcitris conspeximus cadauerā sita,
& ossa eorum qui ante spacium tempo-
ris longius fuerant mortui : in ea sola, in
quam reposita & sepulta fuerat Philin-
nium, inuenimus iacētem annulum fer-
reum qui fuerat hospitis, & poculum in-
auratum, quæ illa primo die à Machate
acceperat. Admirati atq; stupentes præ
admiratione, statim ad Damostratum in
diuersorium nos contulimus, vt videre-
mus an re vera cadauer mulieris conspi-
ceretur. Quod cum vidissimus humi ia-
cere, in concionem conuenimus: nam &
magna erant quæ euerterant, & incredi-
bilia,

bilia. Cum autem in concione tumultus existeret ingens, ac nemo ferè negotium dijudicare posset: primus Hyllus, qui apud nos non ariolus modò optimus, sed & augur præclarus habebatur, atq; in arte diuinâdi abundè omnia habebat perspecta, surgens, mulieris cadauer iussit extra fines sepeliri: (neq; enim conducere, vt iterum intra eos in terram deponatur:) Mercurium verò terrestrem & Furias placari, tum omnes purgari, lustrari etiam sacra, & iusta fieri dijs Manibus, mandauit. Mihiq; priuatim præcepit, vt pro Imperatore & rep. rem sacram faceré Mercurio, Ioui hospitali, ac Marti, eaq; accuratè conficerem. Hæc illo effato, nos quod iusserat executi sumus. Machates autem ille hospes, ad quem spectrum commeārat, præ mœrore mortem sibi consciuit. Proinde si statueris hac de re ad Imperatorem scribere, significa id per literas mihi, vt etiam quosdam eorum qui singula perlustrarunt, ad te mittam. Vale.

NArrat etiā Hiero, siue Alexádrinus is est, siue Ephesius, in Aetolia spectrū extitisse. Polycritus quidam de
e 5 ciui-

75 PHLEG. TRALLIANI
ciibus, à populo gentis Aerolæ præses
etus (ipsi Aetolarcham vocant) est desi-
gnatus per triennium , ciibus eum ad
hoc munus depositib; ob virtu-
tem à maioribus ad ipsum propagatam.
Eum gerens magistratum Polycritus, v-
xorem dicit Locridem: cum qua vt tres
dormiuit noctes, quarta extremum vitæ
diem morte cōfecit. Mulier domi vidua
māsit: & cum partus tempus appetijset,
infantem peperit binis pudēdis, mascu-
lino ac feminino, mirificè omnino mon-
strosum: quæ supra pudēda erant partes,
solidæ erāt, & masculæ: quæ circū femora,
feminea & tenera. Perterriti hoc casu
propinqui, fœtū in forū protulerūt: ad-
uocataq; concione, & coactis sacrificulis
atq; mōstrorum inspectoribus, de eo de-
liberarunt. Horū alij pronūciarūt, dissi-
dium aliquod Aetolorū & Locrensiū
portendi. fœtū enim diuisum esse, matris
Locridis, ac patris Aetoli. Alij censue-
runt matrem cum fœtu extra fines Aero-
liæ deportari, ac cremari debere. Dum
hæc consultantur, subito Polycritus pri-
dem mortuus, in concione existit prope
infantem, atra amictus veste. Is perter-
ritos ciues eo spectro, & plerosq; fugam
facien-

facientes, bono iubet esse animo, neq;
ob hanc apparitionem conturbari. Post-
quam tumultus maiori ex parte sedatus
fuit, tenui voce ita infit: Ego, ciues, cor- c
pore mortuus, benevolentia & fauore ei c
ga vos viuo, & nunc adsum coram vobis c
qui rebus terrenis imperatis, cōmodi ve- c
stri causa. Hortor itaq; vos, ciues meos,
ne tumultuemini, néue ob tam mirabi- c
lem apparitionem aliquid capiatis mo- c
lestiae. obtestor autem vnumquemq; ve- c
strum per suam ipsius salutem, vt mihi c
ex me genitum infantem reddatis, ne c
quid violentum contingat, in aliam vo- c
bis discedētibus sententiam, néue con- c
tendendi mēcum studio, difficultum atq;
aduersarum rerum fiat exordium. Non c
enim fieri potest, vt negligā istā iniuriā, c
si securi stupiditatem vatum vestrorum, c
infantem cremetis. Ignosco sanè vobis, c
quòd improviso hoc monstro conspecto c
dubitatis quid sit agendum. Quòd si mi- c
hi obtēperatis, metu præsenti & impen- c
dentibus malis tutò liberabimini: sīn a- c
liò sententia vestra inclinabit, metuo ne c
dum mihi dicto audientes esse non vul- c
tis, in extremas incidatis calamitates. c
Atq; ego quidē ea quam viuus erga vos c
gesi

„ gessi, ductus benevolentia, nunc quoq;
„ non expectatus adsum, & quid in rem sit
„ vestram, monui. A' vobis autem peto, ne
„ diutius me trahatis: sed re recta via puta-
„ ta, mihi obsequamini, & bono cum omi-
„ ne infantem tradatis, non enim licet mi-
„ hi longiorem moram producere, prop-
„ pter dominos qui sub terra sunt. Hæc
locutus aliquantulum quieuit, expectas
quid ad postulata sua essent responsuri.
Non defuerunt, qui tradendum ei infan-
tem, itaq; & monstrum & qui apparuis-
set genium auerruncandum esse censem-
rent. Sed maxima pars eam sententiam
impugnabat: ac per ocium de re tanta, &
quæ haberet explicatus difficilimos de-
liberandum contendebat. Cernens er-
go Polycritus, eos sibi animum non ad-
uertere, sed consilium ipsius impedire,
„ rursum ita locutus est: Itaq; ergo, ciues,
„ si quid ob consilij prauitatem vobis ad-
uersi euenier, non mihi id, sed fortunæ
„ imputate, quæ vos ita ad deteriora ducit:
„ quæ mihi quoq; aduersa in prolem meā
„ me nefarium reddit. Concurrente ad
hæc verba turba, & tollere monstrum co-
nante, arripiens infantem, & plerosq; fe-
rocious abigēs, discerpit eum, ac voravit.

Clas-

Clamorē multitudo sustulit, lapidibus
que eum cōiectis arcere aggressa est: ve-
rū ille nullis saxorū obnoxius ictibus,
totū infantis corpus, demto capite, ab-
sumpsit, subitoq; euanuit. Quod factum
cum Aetoli aegrē ferrēt, & in anxietatem
haud mediocrem venirent, Delphosq;
mittere vellēt, caput infantis in solo ia-
cens loquitur, & oraculo futura indicat:

O' populosa colens famosas natio terras,
Non lucos ad eas Phœbi, & fragrantia templas:
Namq; manus tibi pollutæ tolluntur in auras,
Ante pedesq; nefas positum via publica tangit.
Mitte iter ad tripodes, atq; ex me disce futura:
Nam tibi fata canam, quæ sint venturaq; dicam.
Hec ubi lux primū reuoluto illuxerit anno,
Corpora Locrorum simul Aetolūmq; Mineruæ
Paxim morte atra sternentur plurima iussu,
Interitus animæ expertes post funera viuent.
Nec requies erit villa mali, vel parvula vobis.
Nam iam nunc cædis stillæ caput omne pererrat,
Omnia nox tegit, & nimbus super incidit ater.
Quisq; domi viduus sua mēbra in limine ponet,
Nulla virum mulier lugebit, nulla parentes
Vsq; amplexa suos deflebit funera proles:
Vsq; adeò cunctos lethalis proluet æstus.
Heu patriā semper gemo, tam crudelia passam,
Et miserā matrem, quæ mortē postmodò obiuit.

Obscu-

79 PHLEG. TRALLIANI

Obscuros etiam superi, & sine nomine ponent,
Aetolo & Locro quidquid de semine fiet:
Vita meo capiti superat quia, nec mea membra
Protinus à terris aboleuit cuncta recedens.
Vos caput auroræ iubeo hoc exponere luci,
Nec terræ infossum nigris celare cauernis:
Atq; ex hinc patria iubeo migrare relicta,
Palladis ad populumq; & cultas pergere terras,
Effugium lethi si quod fors fata ministrent.

Audito hoc Aetoli oraculo, vxores, in-
fantes, & senio prouectos exposuerunt,
quò quisq; potuit: ipsi manserunt domi,
& quid futurū esset expectauerunt. Con-
tigit autē, vt anno proximo inter Aeto-
los & Acarnanes bellū existeret, &
vtrinq; magna fieret clades.

Narrat etiam Antisthenes philoso-
phus Peripateticus, Aciliū Gla-
brionē cōsulē cū legatis Porcio Catone
& L. Valerio Flacco, prælio cōgrefſū cū
Antiocho apud Thermopylas, acriter pu-
gnasse, & milites Antiochi coëgisse arma
abijcere. Ipsum Antiochum primū cū
satellitibus in Aetoliam fugisse, inde
compulsum Ephesum discedere. Aci-
lius (vt is narrat) Catonem victoriæ nū-
ciandæ causa Romam misit, ipse in Ae-
tolos

telos mouit: & Heracleam adortus, nullo negotio cepit. In pugna autē apud Thermopylas, Romanis signa illustrissima sunt facta. Nam cum se ostendisset ipsis Antiochus, ac fugisset: postridie Romani se colligendis ijs qui ab ipsorum parte ceciderant, tum legendis spolijs atque exuuijs & captiuis dederunt. Ibi Buplagus quidam Syrus, qui magno in precio apud Antiochū fuerat, turmamq; equorum duxerat, fortiterq; prælians ceciderat, Romanis, cum omnia spolia legissent, media die è mortuis surrexit, vulneribus affectus XII, & in castra eorū aduenit, atq; hos versus exili voce pronunciauit:

*Desiste ad manus turbam spoliare profectam:
Succenset Iupiter iam nunc facta impia cernens,
Iratus cædem ob legionis, & ob tua facta,
Immanem gentemq; tuas immittet in oras,
Imperio tibi que tua facta rependat ademto.*

Perturbati his verbis duces, celeriter multitudinē in concionē conuocarunt, ac de spectro consultarunt. Placuit ut Buplagus statim à recitatis versibus extinctus cremaretur, ac sepeliretur: Iustraretur exercitus, Ioui auerrūcatori sacrum fieret: mitterenturq; Delphos, qui quid agen-

81 PHLEG. TRALLIANI
agendum esset perquirerent. Consulto-
ribus Pythia sic respondit:

*Define nunc Romane, ex ius fac sit tibi cordi,
Ne longè maiori instructum robore Martem
Immittat Pallas tibi, qui foras ciuibus atrox
Atq; domos viduet. post multos stulte labores,
Amis̄is opibus repetes tua limina magnis.*

Quo audito, Romani omne consilium
expeditionis in aliquem Europæ habi-
tatem suscipiendæ abiecerunt: & mo-
tis castris, à dicto loco Naupactum vene-
runt, Aetoliæ urbem, vbi commune est
Græcorum templum, ibi q; sacrificia pu-
blica & primitias de more adornarunt.
Hæc cum celebrarentur, imperator Pu-
blius insania correptus, multa diuino
animi instinctu pronunciauit, quædam
versibus, alia soluta oratione. Quæ res
cum esset indicata multitudini, omnes
ad Publij tentorium concurrerunt, simul
& cōsternati, atq; dolore affecti, eo quod
optimus ipsorum dux atq; peritissimus
in eam deuenisset miseriam: & cupien-
tes audire quæ diceret. & tantus fuit cō-
cursus, vt quidam vehementius pressi
suffocarentur. Versus, quos ille pro-
nunciauit, cum essent adhuc in tentorio,
hi sunt:

Eheli

Eheu quād dirum Pallas tibi, patria, Martem
 Immittet, postquām Ausonias remeāris ad vrbes,
 Dcuastata Asia natale solumq; beata,
 Thrinaciamq; Deūm quā rex fundauit, amœnā.
 Nā procul, ex Asia, quā sunt Hyperionis ortus,
 Adueniet grauis, atq; animis exercitus ingens,
 Traiectoq; freto rex angusti Helleſponti
 Cum domino Epiri firmissima fœdera iunget,
 Inq; Asiam in numero conflatas milite turbas
 Ex Asia, Europæq; educet finibus amplæ.
 Te subiget, viduasq; domos murosq; relinquet,
 Seruitioq; premet ſpe libertatis ademta.
 Atq; hæc ob ſeuam ſient Tritonidis iram.

His pronunciatis, tunicatus è tento-
 rio ſe proripuit, & ſoluta oratione ita eſt
 locutus. Significamus, milites atq; ciues, ^{cc}
 vos ex Europa in Asiam digressos, Antio ^{cc}
 chum regem terra mariq; commiffis ſu- ^{cc}
 peraffe prælijs: ſubegiſſe quidquid eſt ci ^{cc}
 tra Taurum regionis, & vrbiuum in ea cō- ^{cc}
 ditarum, expulſo in Syriam Antiocho:re ^{cc}
 gionem eam & vrbes Attali filijs vos tra ^{cc}
 didiſſe: Galatas, qui in Asia degunt, vobis ^{cc}
 cum pugna congreſſos ſuccubuiſſe: mu- ^{cc}
 lieres eorum, liberos, & omnia impedi- ^{cc}
 menta vos cepiſſe, & in Europam duxiſſe. A' Thracibus, qui in Europa oram ^{cc}
 Propontidis & Helleſponti accolunt, re ^{cc}
 f deunteſ

" deuentes vos, apud Aenianum regionem
 " inuasum iri, & eos nonnullis occisis par-
 " tem prædæ vobis erepturos: reliquis Ro-
 " mam perlatis cum rege Antiocho fœdus
 " extitum, ea conditione, ut is certam
 " pendat pecuniam, & quadam regione ce-
 " dat. His dictis, magna voce in hæc ver-
 , ba clamauit: Video ex Asia traijcere e-
 " xercitus ferreis pectoribus, regesq; in v-
 " num conductos, & gentes varias in Euro-
 " pam, strepitumq; equorum, & hastarum
 " fragorem, cædem cruentam, prædatio-
 " nem grauem, ruinam turrium, & muro-
 " rum deiectiones, ac euastationē immen-
 ' sæ terræ. Secundum hæc, rursum ver-
 sus protulit, quorum hæc fuit sententia:

4 Nisæ quando frenis auroq; superbæ
 Egreditur equæ proprijs de sedibus albæ
 (Arte Syracusis quas in locupletibus olim
 Dædalus Eetion iucundæ nobile pignus
 Fecit amicicæ, præsepio ad ærea stantes,
 Aureaq; inter se connectunt vincula cunctas:
 Quis super insignis radijs, oculosq; coruscans
 Inuehitur famosi Hyperionis inclita proles)
 Tum grauiū te Roma attinget summa malorū.
 Nam magnus veniens exercitus omnia perdet.
 Ciubus orbabit foræ, & vrbes igne cremabit,
 Sanguineq; implebit riuos, & sanguine manes,
 Seru-

Seruitioq; premet ſpe libertatis ademta.
 Nulla virum è bello reducem tunc femina diro
 Excipiet: Pluto nigro ſed triftis amiſtu
 Sub terras rapiet natos, matresq; patresq;
 Marsq; peregrinis coget ſeruire relictos.

Sic fatus, conticuit: egressusq; caſtris,
 quercum quandam conſcendit. ſequen-
 temq; multitudinem aduocans, hæc di-
 xit: Mihi quidem, Quirites, cæteriq; mi-
 lites, conuenit ut à lupo rufo magno vo-
 rer hodie. Vos autem ſcitore, euentura
 vobis omnia quæ prædixi: ac vera me nu-
 mine quodam demonstrante prædixiſſe,
 hoc certiſſimo intelligite ſigno, quòd
 mox lupus aderit, & me interficiet.
 Hoc locutus, diſcedere eos iuſſit, & lu-
 pum non impedire quo minus accedat,
 dicens: ſi eum arcerent, malè id iſpis ver-
 furum. Obtemperante dictis multitu-
 dine, paulo pōſt accessit lupus. quem
 quum videret Publius, de quercu descen-
 dit, & ſupinus cōcidit. lupus autem eum
 laniauit, & vorauit, omnibus vidētibus.
 cumq; præter caput omnia consumpiſſi-
 fet, montem petijt. Porrò turba acceden-
 te, & reliquias tollere, ac ſepelire, vti le-
 ges iubebant, volente, caput humi iacēs
 hoc carmen pronunciauit:

f 2 Non

Non contingit caput nostrum: fas non sinit illos,
 Quos animo infenso Iouis odit filia Pallas,
 Contrectare caput sacrum. tu tangere cessa,
 Et quæ vera canam tibi nunc oracula serua.
 Dirus in has mittet Mars agmina fortia terras,
 Qui nigrum armatas turbas demittet ad Orcū,
 Prosternetq; solo turres & mœnia longa:
 Nostras diuitias, tenerā & cum coniuge prole
 Abripiens, Astē vehet ille per æquor in oras.
 Hec tibi fata canit veracia Phœbus Apollo
 Pythius. is forti misso me, crede, ministro
 Ad sedes duxit quas obtinuere beati,
 Quā manes inter Proserpina candida regnat.

Quod cum audiuisset multitudo, non
 Ieouter perturbata, fanum posuerunt A-
 pollini Lycio, siue Lupino: aramq; eo lo-
 co vbi caput iacebat. tum nauibus con-
 scensis, domum quisq; suam nauigarūt.
 Cæterū euenerunt omnia, quæ
 erant à Publio prædicta.

Monstra sexuū. **T**Am Hesiodus, Dicæarchus, Clitar-
 chus, Callimachus, alijq; nonnulli de
Tiresias. Tiresia hęc narrant. Tiresiā Eumaris F.
 in Arcadia cū esset mas in móte Cyllene,
 serpentū, quos coire videbat, alterū vul-
 nerasse: illicoq; mutato sexu, in feminam
 mutatum esse, ac cum viro concubuisse.
 Moni-

Monitū autem oraculo Apollinis, vt cū coēuntes serpentes iterū depræhendis-
set, alterū itidē sauciaret, ita enim in pri-
stinū sexū redditurū obseruata opportu-
nitate, consilium Dei fuisse exsecutum,
itaq; recuperasse pristinam naturā. Por-
rò Ioue cum Iunone altercante, illoq;
contendente plus voluptatis è re vene-
rea feminas percipere quàm viros, Iu-
none contrarium afferente: placuisse, vt
accitus ea de re pronūciaret Tiresias, vt-
pote vtrunq; sexū expertus. Hūc interro-
gatū respōdisse: decē in partes voluptate
ista diuisa, vnā viro, nouē mulieri obtin-
gere. Iunonē iratam, eū oculis confossis
excæcasse: Iouem ei vaticinandi artem
dono dedisse, & vitam VII seculorū.

Iudem perhibent, apud Lapithas Ela-
to regi filiam fuisse, nomine Cænidem. *Cænis.*
cum hac Neptunum congressum, pro-
misisse, facturum se ei quodcunq; vellet.
ipsam petiisse, vt ab eo in virum mutare-
tur, fieretq; inuulnerabilis. præstitisse id
Neptunū, nomenq; viro Cæneus factū.

Antiochæ etiam, quæ est ad Mæan-
drum sita, homo mixto sexu, quem an-
drogynum appellant, fuit, præsidente
Athenis Antipatro: Romæ M. Vinicio, &

f 3 T. Sta-

T. Statilio Tauro , cui Corbilij cognoscitur
Virgo in mare mentum fuit, Coss. Etenim virgo quedam
 parentibus nata illustribus , cum anno
 rum esset XIII. multis procis petita ob
 pulcritudinem , postquam de parentum
 sententia desponsata est, nuptiarum die
 appetente domo progressura, subito do-
 lore vehementissimo correpta exclama-
 uit. Domestici eam reductam in ædes, ita
 curauerunt, ut quæ doloribus ventris &
 conuersionibus intestinorum laboraret.
 Verum dolore per triduum continuum
 permanente, omnibusq; eum ob casum
 anxijs, cruciatibus, neq; interdiu neque
 noctu remittentibus, cum omnes eius vi-
 bis medici ipsam curarēt, nullam tamen
 affectus causam inuenirent: quarta die
 sub auctoram intendentibus se acrius do-
 loribus , puellaque magno cum eiulatu
 exclamante, subito virilia prodierunt, ac
 è virgine vir est factus. Qui aliquanto
 post Romam fuit ad Claudium Césarem
 adductus : atq; hic , prodigijs istius causa,
 in Capitolio Ioui auerrūco arā posuit.

Alius fuit androgynus Meuaniae, quæ
 est vrbs Italiæ , in diuersorio Agrippinæ
 Augustæ, preside Athenis Dionysodoro,
 Romæ D. Iunio Silano Torquato, & Q.
 Asterio

Asterio Antonino coss. Nam virgo quædā Smyrnæ nata, Philotis nomine, cum matura viro nuptrum tradita esset à parētibus, masculino enato membro in virum abiit.

Eodemq; tempore Epidauri alias fuit androgynus, natus in opibus parētibus, cui nomen prius erat Sympherusa: in virum autem mutatus, Sympheron cepit vocari, vitamq; colendis hortis triuit.

Quin & Laodiceæ, quæ est in Syria, mulier Aeteta nomine, etiamnum cum marito degens, è femina vir extitit, cui nomē Aetetus: præside Athenis Macrino: Romæ consulatum gerētibus L. Lamia, & Aeliano Vetere. hūc ipse quoq; vidi.

Fuit & Romæ androgynus, præside Athenis Iasone: Romæ M. Platio & Sex. Carminio, Hyæo, ac M. Fulvio Flacco coss. Quam ob causam Senatus iussit, à sacerdotibus Sibyllæ oracula recitari atque exponi sunt autem hæc:

Omnia prodigia & fatalis ordine casus,
Tela mea expediet, si condita mente tenebis.
Roma mihi parens. Nā partum femina quōdam
Ancipitis sexus edet, cui nulla virilis
Membra absint sexus: sed & omnia protinus
adsint

f 4 Conspic

6

Conspicienda gerunt quæ prima ætate puellæ,
Disce quibus iam tunc operandum sit tibi sacris
Et Cereri, & natæ Cereris: num dicta faceſſas,
Ipsa mihi testis fuerit regina monenti.

Persephonæ in primis castæ, & Cereri vene-
randæ,

Thesaurum ex multis cura componere nummis,
Sive voles ex omnigenis hunc vrbibus auſtum,

Hunc Cereri sacrum pones, propriumq; dicabis.

Hinc coram populo nouies ter ducere vaccas

Pulcras, cornutas, nitidas candore pilorum,

Et quas vos cunctis forma præstare putetis.

Et totidem ritu peragant hæc sacra Pelasgo,

Reginam lethi exortem celebrentq; puellæ

Et purè & castè. Nec non vxoribus inde

A' vestris stabiles diuæ exhibeantur honores.

Hæ, telæ rursus nostræ concepta tenentes,

Magnificæ Cereri splendentia lumina gestent:

Ter totidem iactentq; in flammæ sobria sacra,

Quæ ritus vetulæ norunt, formamq; sacrorum.

Ast aliæ totidem Plutonidi munera mittant,

Quarum ætas tenera, & grauibus mens libera
curis.

Et venerādam orent Hecaten, ac cuncta scientē,

Vt surgente domi maneat dea maxima bello,

Ne patriæ atq; sui Græcos obliuio tangat.

Inde ferant alij gazam, iunctæ hisq; puellæ

Licia diuino varia & circundata malo,

His

His exornatus compescat uti mala Pluto.
 Tum quod præ cunctis pulcrum atq; optabile
 tellus
 Educat, id malo iunctum, textoq; feratur
 Munus reginæ, Cerere est quam nata, puellæ
 Iamq; deas, vt seruitij miseranda precatus
 Auertant patria vestra iuga: sanguine nigro *
 Plutoni diti tuum cœrulei bouis, omnes
 Vestibus ornatos nitidis, & pastor ut adsit *
 Ipse bouis ductor, nec non alij quoq; vestra
 Parentes nutrit quos patria religioni.
 Nemo etenim sacris incredulus impius adsit.
 Turba profana foras, diuūm decedite templis.
 Tractent sacra pij, & qui nostra oracula callēt,
 Hi Clario castè sacris operentur, & aris
 Pinguia caprarum cendentium summa ponant,
 Velatoq; deum capite ante altaria proni
 Suppliciter pacem Pœona poscite votis.
 Hinc regina deum Iuno placanda precando.
 Vacca tibi ritu patrio mactabitur alba,
 Matronæq; canant illam, celebrentq; tuarum
 Precipue, & si quas medio tenet insula ponto.
 Non astu, sed vi Cumanam quippe coactam
 Illæ habitant terram, venerandæ patria quarū *
 Reginæ Iunonis habet sculptum simulacrum.
 Ipsa aderit, si nostra illam precepta secutus,
 Ritè coles à me monstratis iam tibi sacris.
 Insuper agnorum quoq; sobria sacra quotānis

f 5 Exhi-

91 PHLEG. TRALLIANI

Exhibeas, luces anni totius in omnes,
 Manibus adsidua cum religione deinceps.
 Sic tibi propitiam diuam, facilemque tenebis.
 * Cætera sub radijs velo occultata videbis
 In folijs nostris *

Te desiderium quia dulce feracis oliuæ
 Corripuit, folia accipies medicamen ab illa,
 Dum mala felici decadant tristia fine.
 Exoptata dies vobis, votisque petita *
 Quæ soluat tandem ærumnis, reddatque quietem.
 Hæc tu me terris excitam fata Pelasgis
 Euentura tibi quondam prædicere cogis.

Messenæ ante annos non multos, ut
 Apollonius auctor est, dolium ex lapide
 confectum, vi tempestatum, & alluvio-
 ne copiosæ aquæ ruptum est: & ex eo do-
 lio effusum caput triplæ ad humanum
 quætitatis, duos habens dentium ordines.
 Cum verò quereretur, cuius id fuisset: in-
 scriptio id manifestauit, erat enim inscrip-
 tum ΙΔΕΩ, Idæ. Publico itaque sumptu
 aliud dolium Messenij curauerunt, inquit
 id caput reposuerunt: atque accuratius He-
 rois eius reliquias coluerunt, cum vide-
 ret huc esse, de quo Homerus ita scripsit:

*Iliad. I. 554. Idæ, mortales valido qui robore cunctos
 Tempestate illa superauit: quique decoram*

Ob

*Idæ Heronis ca-
 put.*

Ob spōsam, rigidum tulit imperterritus arcum,
 Aggressus telis magno contendere Phœbo.
 In Dalmatia quoq; in spelunca quæ *Diana specus*.
 Diana dicitur, videre licet multa corpora,
 quorum costæ XVI. vlnas excedunt.

Apollonius Grammaticus narrat, *Terræmotus*,
 T. Neronis ætate terræmotū fuisse, quo & monstroſe
 multæ ac celebres Asiacæ vrbes funditus corporum magnitudines.
 deletæ sint, quas deinde Tiberius suo sumtu instaurauit. Propter quod beneficium, Asiæ colossum ei confecerunt, ac posuerunt in foro Romano, ponè fanū Veneris, & singularum deinceps vrbium statuas subiunxerunt. Sed & Siciliæ non paucæ numero vrbes eo terræmotu afflictæ fuerunt, & loca Regio vicina: & Ponticæ eum nō paucæ gentes senserūt. Enim uero quibus locis terra à se diuulsa fuit, ingētia sunt reperta cadauera, quorum magnitudine stupefacti incolæ, nō ausi ea loco mouere. indicij causa Romā miserunt dentem vni exemptum, qui pedis mensuram non attigit modò, sed etiā superauit: quem legati Tiberio ostendentes, simul etiam quæsiuerunt, vellētne ad se heroëm, cuius is fuerat, afferri? Ibi Tiberius prudenter consilium eò direxit, ut neque cognitione magnitudinis seipsum

seipsum priuaret, & spoliandorum ca-
dauerum flagitium euitaret. Insignem
quēdam geometram, nomine Pulcrum,
quem ob artem apud se honorificē habe-
bat, accitum, faciem iussit fingere pro-
portionē denti respondentem. Qui di-
mensus, dentis quātitate perspecta, quā-
ta facies, & quæ totius corporis moles
futura esset, celeriter opus absoluit, & ad
Imperatorem attulit. Isque sufficere sibi
hoc spectaculum dicens, dentem eō, vni-
de erat allatus, remisit. Neq; est huic fi-
des deroganda narrationi, cum in Aegy-
pto quoq; locus sit, Litræ appellatus, in
quibus Litræ corpora istis non minora
ostenduntur, non obruta terra, sed in cō-
spectu posita: neq; confusa aut contur-
bata ea, sed ordine suo collocata: ut qui
accedit, cognoscere possit, quæ femorū
ossa sint, quæ crurum, aut aliorum mem-
brorum. Itaq; ne hæc quidem aliena à
vero putanda: sed cogitandum est, quòd
initio natura vigens viribus omnia deo-
rū naturæ æmula educauit: successu au-
tem temporis, cum emarcesceret, natu-
rarum quoq; quantitates decreuerunt.
Sed & Rhodi accepimus ossa tanta esse,
ut cōparati cum ijs nostri homines, sint
multo

multo minores. Idem ait, prope Athenas insulam esse quandam, quam Athenienses cum vellent muris munire, dum foderent fundamenta, inuenierint sepulcrum longitudine C cubitorum, atque intus cadauer ad ossa usque absuntum, cum hac inscriptione:

Sepultus ego Macrofeiris in longa insula

Vite peractis annis mille quinques.

Eumachus in Periegesi, seu Orbis terrarum enarratione, scribit: Carthaginenses, cum circum suam prouinciam agerent fossam, dum terram exhaustiunt, incidisse in duo ossea cadauera, condita arcis: quorum alterius compages longa fuerit XXIV cubitos, alterius XXIII. Theopompos Sinopensis in libro de Terrae motibus scribit, in Bosporo Cimmerico, subita terrae concussione quendam colliculum dissiluisse, eiusq; ingentia fuisset ossa, ita ut compage eorum in memorem humani corporis composita, longa ea fuerit XXIV cubitos. aitq; circum accolentes barbaros, ossa ea in Maeotidem abiecisse paludem.

Ad Neronem allatus est infans quadriceps, respondetibus proportione etiam ^{Monstro si par-} _{tus.} cæteris membris, Athenis praefecto Thrasyllo:

95 PHLEG. TRALLIANI

syllo : Romæ, P. Petronio Spaliano, & Cesennio Peto coss. Natus est & aliis, caput habens è sinistro enatum humero.

Athenis præfecto Deinophilo, Romæ Q. Veratio & Cn. Pópeio Gallo coss. Recij Tauri viri prætorij vxoris primaria ancilla Romę simiā peperit. Cornelij Gallicani vxor Romæ infantē partu edidit, capite Anubidis : Athenis præside Damostrato, Romæ A. Lucennio Nerua Silianiano, & M. Vestino Attico coss. Muller Tridenti vrbe Italiam nata, serpentes enixa est globi in morem conuolutos, Romæ Domitiano Cæsare IX, & Petilio Rufo II. coss. Athenis magistratu vacantibus. Romæ quædam bicipitem abortu edidit fœtum, qui aruspicum ius su in Tiberim amnē est abiectus : Athenis præside Adriano, qui deinde Imperator est factus : Romæ, Traiano VI. & T. Sextio Africano coss. Dorotheus medicus in Cōmentarios suos retulit, Alexandria in Aegypto cinqdū peperisse: fœtum conditū miraculi causa asseruari. In Germania, in exercitu Romano quē T. Curtilius Mancias duxit, seruus militis peperit: Athenis Conone præside, Romę

Q. Vo-

Q. Volusio Saturnino, & P. Cornelio Scipione coss. Sed & Antigonus narrat, Alexandræ mulierem quandā quatuor partub. XX fœtus edidisse, quorū maior pars enutrita sit. Eademq; in vrbe alia mulier quinq; infantes vnā peperit, tres masculos, duas feminas, quos suis sumtibus ali iussit Traianus imperator, eademq; mulier circumacto exinde anno, tres infantes peperit. Hippostratus in libello de Minoe, Aegyptum perhibet ex vna vxore Europa, Nili filia, L filios procreasse. Itemq; Danaus, ex vnica Europa Nili filia, quinquaginta tulit filias. Craterus, Antigoni regis frater, nouisse se scribit quendam hominem, qui spacio septennij & puer fuerit, & adolescentis, & vir, & senex, & vxorem duxerit, & progenera prole mortuus. Megasthenes autor est, mulieres Palææ habitantes, sex annos natas páre. A-
Hippocentaur-
rabiae vrbs est Sauna. in ea inuentus est rus.

hippocentaurus in móte admodum excelfo, qui lethali abūdat veneno: cui veneno idem est cum vrbe nomen omniū pestiferorum acutissimum atque efficacissimum. Hippocétaurum rex cū cepisset viuum, cum donis ad Cæsarē alijs in
 Aegy-

Aegyptū misit. vescebatur carnibus: sed
aëris mutati impatiens, mortuus est.
Eum conditum, præfectus Aegypti Ro-
mam misit. primumq; in palatio est mó-
stratus. Facies, quām humana fuit ei tru-
culētior: manus & earum digiti pilis in-
tecti, latera ventri & prioribus pedibus
contigua, vngulæ equinæ solidæ, iuba
subfulua, quanquam condimenta eam
ferè cutis in morem nigrā fecissent: ma-
gnitudo non quanta pingitur, non ta-
men exigua. Feruntur in nominata vrbe
etiam alij esse: sed eum qui Romam mis-
sus est, si quis non credit, videre potest.
7 repositus est enim in finibus Imperato-
ris, conditus, ut dixi.

*DE HIS Q VI CENTVM
annos vixerunt.*

ITALI, qui centum annos vixerunt:
I quos ex ipsis Censuum commenta-
rijs conquisitos, non obiter depræhen-
dimus.

L. Cornelius, Cornij F. L. Glauceius
Verus, L.F. L. Verustius Secundus, L.F.
L. Licinnius Palus, L.libertus. L. Aci-
lius Marcellus, L.F. Omnes hi, vrbe Pla-
centini

DE MIR. ET LONG. LIB. 98

centini. L. Vettius M. F. Brixellensis.
L. Cussonius, L. F. vrbe Cornelia. L.
Gaminius, L. F. Velia. C. Portensius
Fronto, Sex. F. Bononia. C. Nonius
Maximus, P. F. Brixellis. B. Amurius
Teiro, C. F. Cornelia. C. Castopudes,
Titij F. Parma. C. Vatius Tertius, Sp.
F. Placentia. C. Iulius Pothus, Rauen-
na. C. Valerius primus, Q. F. Velia.
Ceselias Cyrus, Placétia. Catia C. filia,
Fauétia. P. Fuluius Phryx, L. libertus,
Pollentia. P. Neuius, L. F. Basilea. P. De-
cénius Demosthenes, P. libertus, Arimi-
no. Petronia Quinti, L. liberta, Placétia.
Pollia Polla, Sp. filia, Aetosia. M. Vilo-
nius Seuerus, Veleia. M. Terétius Al-
bius, M. libertus. M. Antonius, L. F. M.
Talpius Vitalis, M. F. oēs Placétini. M.
Accelius, M. F. Bononia. M. Nirellus,
C. F. T. Vibius Thalbius, Særij F. Par-
menses. T. Aemilius Q. F. Regia. T.
Veteranius, P. F. Bononia. T. Nume-
rius, T. F. Placentia. T. Seruius secun-
dus. T. F. Bononia. T. Petronius, Sp.
F. Placentia. T. Antonius, M. F. Regio.
T. Erusius Pollio, C. F. Bononia. T.
Camorius Tersius, T. F. Fidétia. Turel-
la Forensis, C. liberta, Bononia. Q.

g Cassius

99 PHLEG. TRALLIANI

Cassius Rufus, Q. F. Q. Lucretius Primus, Q. F. Regini. Q. Velius, P. F. Velia. Albatia Sabina, Parmensis. Saluia Varena, P. F. Basilea. Bebia Marcella, Sex. filia, Orrisia. Bascia Asticosi, Philippis Macedonię. Bonzeftoni inquilini Polpæ, Macedo. Fronto Albutij Macedo Philippensis. Sarces Kilamacetis Amphipolitana. Aedesius Diza Parœopolis, Macedo. Zækedenthes Mucaſi, eadem patria. Mantis & Proæzi Macedo, ab Amphipoli. Alexander Demetrij Tianus, à Ponto & Bithynia. Gaza Timonis Tianę, indidem. Chresta Antipatri, Tiana. Chryſium Theophili, Tiana. Hiero, Hieronis F. Tianus. Muzacüs Mucantij, è Nicomedia Bithynia. L. Phidiclanius Nepos, Sinopësis. Alu- cius Apiliuta, Lusitanus, vrbe Inter- niesia. eademq; vrbe Ambatus Ducu- rij F. & Camalus Cantolgunij F. Cel- tius Pellij F. vrbe Apeilocario. Arrun- tius Appij F. vrbe Conimbrigesia, & ea- dem Tamphius, Celrij F. Duccu- rius Aluccij F. vrbe Aebu- robisyngesia.

QVI

DE MIR. ET LONG. LIB. 100
QVI AB ANNIS C ET IV
vſq; ad CX protraxisse vitam an-
notati sunt.

C. Leledius primus, annos CI. Clo-
dia potesta, C. libera, totidem, Bo-
nonienses. Cusinia Iuuenga, C. liber-
ta, Cornelienſis, annos CI. Cereo-
nia Verecunda, P. liberta, ipsa quoque
Corneliēſis, annos totidem. Liuia At-
tica, P. liberta, & Buria Lychnænis, Par-
menses, annos vixerunt totidem. C. Sá-
phius, C.F. annos CII. Veliæ natus. Q.
Cornelius, Q.F. Regij : T. Antonius,
T.F. Parmēſis, totidem. Cocnania Mu-
sa, annos CIII, Cornelienſis. Demo-
critus Abderites, annos CIV. mortuus
est abstinentia cibi. Totidem annos vi-
xit Ctesibius historiæ scriptor, &c (vt
in annalibus Apollodorus refert) inter
deambulandum viuendi finē fecit. A-
gatharchides libro historiæ Afianæ no-
no scribit, Hieronymum historicum,
cum is & temporis multum in expedi-
tionibus bellicis tolerasset, & in pugnis
permulta accepisset vulnera, annos natū
totidem, decessisse. C. Lallias Tio-
neus, L. F. vitā produxit per annos CV.

g 2 vrbe

101 PHLEG. TRALLIANI
vrbe natus Bonia. P. Quisentius Sphy-
rio, P. libertus, Bononiensis: T. Cotti-
nas Chrysantus, T. libertus, Fauétinus:
M. Pomonius Seuerus, M. F. vrbe Tanne-
rana: Sext. Neuius Sext. F. vrbe Parmia:
omnes totidem. L. Aelius Dorothaeus,
L. libertus, Bononiensis, annos CVI.
C. Pompusius Montianus, P. F. annos
CVII. Polla Donata Sext. filia Bononiensis,
annos CX. Munatia Procula
L. F. Regina, totidem.

*QVI AB ANNIS CX VS-
que ad CXX progreſſi, in Commenta-
rijs memorantur.*

T. Purennius Tutus, L. F. Corneliiſis,
annos CXI. L. Antistichus Soterichus,
L. libertus, Rauennās, CXIII. L. Petri,
Corneliensis CXIII. Iulia Modesti-
na, Corsiolis vrbe nata, liberta primipi-
larij, noſtra adhuc ætate ſuperſtes, vrbe
Brixellis, annos CXX.

*QVI AB CX X ANNIS
vſq; ad CXXX vixiſſe annotati ſunt.*

L. Tertius, Bononia, annos CXXXV.
Faustus Cæſaris feruus, è Sabiniſis, à Præ-
torio Pallantiano, annos CXXXVI.
quem

quem & ipsi vidimus, Adriano Cæsari exhibitum. Arganthonius Tartessiorum rex, ut Herodotus & Anacreon poëta narrat, annos CL. Sibylla Erythræa, De Sibylla Erythræa. annos vixit non multo pauciores CIO. quod ipsa in Oraculis in hunc modum indicat:

Sed quid flebilibus nō nostra incommoda verbis
Vaticinor, rabie fatali concita mentem?
Quim stimulos nostri potius contrecto furoris?
A teneris semper mala fors me exercuit annis,
Adq; senectutis prouexit damna molestæ.
Inter ego vœsana homines, non credita cuiquam
Vata cano, & duros casus bene gnara futuri.
Idcirco inuidia Latone filius acri
Correptus, mihi fatidicamq; infensus ob artem,
Corporis hanc anima misera de compede soluet,
Infesta carnem ferus interimetq; sagitta.
Et mea tunc liquidas anima ut transibit in auras,
Auribus humanis vento permixta volucris
Fata canet cæcis ambagibus obscurata.
At supra matrem corpus deforme iacebit
Tellure: neq; enim id quisquam mandare sepulcro,
Ingestaq; volet mortalis condere terra.
Quæ laxata calore meum tamen inde cruorem
Hauriet, hinc varias foecundaq; proferet herbas,
Vnde iecur pecudum subiens vis certa futuri,
Consilia ostendet gnaris occulta deorum.

g 3 Atq;

Atq; meas carnes, subeunt quæ saxa volucres,
Cum carpent, ventura procul mortalibus edent.

Hoc oraculo indicatur, Sibyllam istā decem ætates inter homines exegisse: & postquam ē viuis excessit, animam in aërem elatam effecisse, ut ad aures hominum omnia & sermones de futuris acciderent. cadauere autem insepulto iacente, aues eius carnibus vescentes, auspicio ventura indicasse: reliqua parte computrescente, & terram penetrante, pecudes, quæ ē terra ea enatas herbas depascerent, diuinationem quæ ē iocinorum sit inspectione, inter homines introducturas. Cæterūm ætatē Sibylla annis CX. definit in oraculo Romanis dato de ludis, quos ipsi Seculares vocant. Cum enim ipsorum socij & amici non starent pactis, sed crebrò nouas res tentarent, & bellum inferent: cecinit Sibylla, Si hæc spectacula ederentur, Latinos, qui defecerant, subditum iri. Oraculi hic est tenor:

Oraculū, quo
udi seculares
instituuntur.

Viginti & centum reuolutis protinus annis
(Quæ sunt humanæ longissima tempora vite)
Hæc memori tum mente tibi Romane teneto,
Hæc age, quantumvis obliuiscare teipsum.
Quâ campus flauas vndosī ad Tibridis vndas
Stringitur, angustis & circumscribitur oris,

Aetas, seu secu-
lum,

Hic tu, sub terras ubi Titan lampada condet,
 Obscuræ noctis sese intendentq; tenebræ,
 Omnigenis placa immortalia numinia sacriss:
 Atq; agnos diuis, nitidas & cæde capellas.
 Cœruleas etiam veneraberis Eilithyas,
 Rite sacris factis, faustæ que partibus adjunt.
 Aram frugiferæ Telluri deinde dicabis
 Gratus ouem. tauros candentes ad Iouis aram
 Tum statues, radijs cum Sol terrestria lustrat:
 (Non noctu. nam cœlitib. sacra rite feruntur,
 Cum lux alma diei cœlum terrasq; retexit.)
 Pulcraq; Iunonis donetur bucula templo,
 Quinetiam Titan Latonia proles Apollo
 Placetur sacriss, cantent Pæana Latini,
 Atq; choros ducant: pueriq; ætate vigentes
 Parte alia, atq; alia florentes vere puellæ
 Aetatis, nondum charis genitoribus orbæ.
 Atq; verecundæ matronæ luce sub ista
 Curuatis celebrem genibus Iunonis ad aram
 Concilientq; deam, & sacrata piacula soluant
 Vir mulierq; magis tamen isthæc femina debet.
 Ista domo sibi quisq; ferat, quas fas iubet almis
 Primitias offerre dijs, & fausta precari.
 Pro se quisq; virûm sibi condita in ædibus isthæc
 Afferuet, festis castus promatq; diebus.
 Lucibus his, noctesq; per has ad fana deorum
 Turba hominum festiva adsitq;, & seria risu
 Temperet, adsiduisq; adsit creberrima sacriss.

g 4 Horum

Horum non vlo te obliuio tempore tangat.
Itala sic tellus tibi cuncta, omnisq; Latinus
Seruiet, et pauidum mittet tua sub iuga collū.

FINIS.

APOLLONII HI
STORIAE MIRABILES,
Xylandro interprete.

I.
Epimenides.



Pimenides Boli F. Cretensis, à patre & fratribus in agrum missus, ouis in urbem adducendæ causa, fertur, cùm eum nox obrueret, à semita deflexisse, ac dormiuisse per L VII. annos. quod cùm alij memoriæ prodiderunt, tum Theopompus in historijs, percurrens quæ singularis locis mirabilia euenerunt. Inter ea verò temporis propinquos Epimenidis, vitam cum morte commutasse: ipsum somno solutum (opinatum autem fuisse, eadem se die euigilasse, qua obdormiuisset) ouem, cuius gratia missus fuerat, quæsiuisse, quam cùm non inueniret, rus profectum, predium reperisse venditum, & instrumenta mutata, itaque in urbem abiisse, domumq; ut venierit, ibi de omnibus rebus cognouisse; in-

ter